

1363-1363- OFP - Acta Capitulorum Generalium apud Magdeburg Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.
 Haec sunt acta capitulo generalis apud Magdeburg celebrati
 anno Domini M°. CCC°. LXIII°.

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur sic: Qui eius locum obtinet, tenetur convocare, quamcicius poterit, electores, addatur sic: si tamen ante recessum diffinitoris rationabilem et debitum ad capitulum generale possint ipse et electores commode convocari, et tunc sequatur: et in die ad eligendum assignata etc.

Item. Inchoamus hanc: quod in terciis feris a septuagesima usque ad quadragesimam, quando missa cantatur de beato Dominico, post responsorium cantetur tractus: Quasi stella matutina.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: scilicet quod omni feria tercia, nisi festum simplex vel maius occurrit, fiant tres lectiones de beato Dominico, patre nostro, preterquam a dominica prima quadragesime usque ad octavas pasche, et preterquam infra octavas, quando de ipsis agitur, et in vigiliis sanctorum, qui propriam missam habent. De festo autem trium lectionum, si aliquod in dicta feria evenerit, fiat solum memoria in vesperis, matutinis et missa. Et hoc medio tempore observetur in modum, qui sequitur: Ad vesperas capitulum: Quasi stella; ymnus: Gaude mater: versus: Ora pro nobis; ad magnificat antiphona: Magne pater, cum oracione: Deus, qui ecclesiam; ad matutinum invitatorium: Adsunt Dominici; ymnus: Novus athleta; antiphona super psalmos: Florem pudicicie; versus: Iustum deduxit. Lectiones de legenda de lectionario; Responsoria tercii nocturni; Te Deum, pro tempore. Versus in laudibus: ora pro nobis; capitulum sicut in vesperis; ymnus: Ymnum nove leticie; ad benedictus: Benedictus redemptor; oracio: Deus, qui ecclesiam. Ad primam, terciam, sextam, nonam antiphone, capitula, responsoria et oracio sicut in festo ipsius; in tempore autem resurrectionis tres primi psalmi dicuntur additis locis debitibus: Alleluia. Missa vero sicut in festo simplici cantetur. Et hec habet duo capitula.

Item. Approbamus hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur circa finem: tractatibus capituli aliquatenus admittatur, addatur sic: nullus eciam frater, cuiuscumque condicionis vel gradus existat, si ex quacumque causa ab obedientia vel correctione ordinis exemptus est, talibus tractatibus admittatur, nec in aliqua electione aut auctoritate ordinis huiusmodi frater vocem habeat, nec ad prelacionem aut officium quocumque ordinis possit assumi. Et statim sequatur, ut ibi: prior autem provincialis et diffinitores etc. Et hec habet duo capitula.

Ista est confirmacio.

Confirmamus hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: Prior autem illius loci, ubi capitulum fuerit celebrandum, cum diffinitoribus capitulo provincialis ad celebracionem eiusdem admittatur, addatur sic: Quilibet autem vicarius generalis provincie, per quemcumque modum legitime fuerit institutus, locum provincialis teneat, fidelium dicat, licenciam loquendi tribuat et possit concedere litteras de beneficiis [ordinis] illius provincie, stante capitulo provinciali duntaxat; et statim sequatur, prout ibi ponitur; predicti autem diffinitores etc. Et hec habet tria capitula.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

In primis cum iuxta apostolum viros religiosos non deceat huic seculo conformari, mandamus fratibus universis nostri ordinis, cuiuscumque gradus aut status existant, quatenus habitum studeant reformare, structuram tunicarum, scapulariorum latitudinem, capuciorum, capparum preciositatem et omnem indebitam curiositatem amoveant et corrigant [secundum] formam, quam reverendus pater magister ordinis tradidit diffinitoribus, ostendendam in suis capitulois provincialibus. Quod ut plenius fiat, volumus, quod in singulis conventibus sint duo superiores ordinis zelatores, qui omnes fratres, quantum ad habitum examinent, et quos viciosos repererint, presidentibus indilate denuncient; qui presidentes ad debitam reformacionem predictos compellant; quod si neglexerint, in penam a suis officiis infallibiliter absolvantur et inhabiles ad officia ordinis reputentur, donec in premissis eorum zelus videatur.

Item. Mandamus quibuslibet prioribus provincialibus ac conventionalibus universis ac eorum vices gerentibus, quatenus fratrem, de quo legitimate constiterit, quod extra conventum carnes comederit vel non licta carneata, compellant ad faciendam penitenciam in nostris constitutionibus taxatam indispensabiliter et sine mora. Ipsi autem presidentes, si concederint aut si comedentes non correxerint, in penam a suis officiis conventionales per provinciales, et provinciales per reverendum patrem magistrum ordinis absolvantur.

Item. Volumus et ordinamus ad salutem animarum et ordinis, quod nullus fiat predictor aut confessor, nisi prius examinatus fuerit in provinciali capitulo vel per fratres per provinciale vel provinciale capitulum specialiter ad hoc deputatos. Quicumque autem frater sine tali examine et licencia ad predicta se exposuerit, et prelati, si in hoc eos non represserint, ubique sint per annum integrum omni voce privati.

Item. Cum secundum doctrinam evangelicam et regulam beati Augustini, patris nostri, et nostri ordinis consuetudinem non liceat fratrem solum extra conventus septa discurrere, mandamus prioribus provincialibus et conventionalibus universis ac eorum vices gerentibus, quod quemcumque fratrem solum repererint disurrentem, denuncient ipsum penam graviori culpe debitam incurrisse; ad quam subeundam eum cogant quantocius et

indispensabiliter per quindenam. Et hoc idem intendimus de sociis prelatorum et aliorum dominorum quorumlibet. Adiuentes insuper, quod socii capellanorum seu penitenciariorum quorumlibet aliorum dominorum, non dati per eorum superiores, redeant ad conventus suos nativos sub pena privacionis omnium graciarum ordinis.

Item. Cum constituciones nostre specialiter caverint, ne secreta ordinis personis extraneis revelentur, mandamus prioribus provincialibus et conventionalibus ac eorum vices gerentibus, quatenus omnem fratrem eis subditum, de quo legitime eis constiterit, quod infamaverit aliquem fratrem vel eius expulsionem de regno, provincia, terra vel conventu procuraverit [per] personas extra obedienciam ordinis constitutas, incarcererent vel incarcera faciant indilate. Qui autem in hoc inventi fuerint negligentes, statim a suis officiis absolvantur et habeantur tamquam fratres sui ordinis destructores.

Item. Cum ad fratrum profectum in studio necessaria sit librorum copia, prohibemus presidentibus universis et omnibus ac singulis fratribus nostri ordinis, ne quoscumque libros ad communitatem aliquam pertinentes vendere seu alio modo distrahere presumant sine fratrum discretorum consilio et assensu; et hoc tantum in casu necessitatis.

Item. Denunciamus provinciis ordinis universis, quod intendimus, quod studentes mittantur Parisius pro studio more solito; quos volumus ibidem ad minus per annum integrum permanere dumtaxat et quod sint a principio studii, scilicet mensis septembris usque ad finem lectionum. Adiuentes, quod propter necessitatem dicti conventus ipsi secum ferant pecuniam sufficientem pro necessariis in victu pro anno illo. Quam quidem pecuniam volumus tradi magistro minori regenti; qui magister eam tradet duobus studentibus, uni intraneo, alteri extraneo, quos predicti studentes elegerunt, et procuratori conventus; qui tres simul de necessariis pro victu tempore ydoneo providebunt et dispensabunt.

Item. Ordinacionem factam in capitulo Ferrariensi immediate precedenti, que sic incipit: cum cunctis pateat evidenter etc., cum omnibus et singulis clausulis suis tam [de] observaciis quam de penis ibidem appositis volumus in suo robore permanere¹.

Item. Volumus et ordinamus, quod omnes provinciales et singuli faciant diligenter inquire in cunctis conventibus suarum provinciarum privilegia ordinis et ea transmittant infallibiliter ad sequens capitulum generale.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores provinciales: Tholosanum, regni Sicilie, Ungarie et Lombardie superioris.

Item. Hos absolvimus priores conventionales: Viennensem², Straussbergensem Sehusensem, Rostocensem, Nordensem, Soldinensem, Ienensem, Molenhusensem, Magdeburgensem, Noviomagensem et Groningensem; et volumus et ordinamus, quod priores tam provinciales quam conventionales in hoc capitulo absoluti ad eadem officia in eisdem provinciis vel conventibus nullatenus assumantur.

Iste sunt assignaciones.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius pro anno presenti fr. Simonem de Puteo de conventu Panormitanus provincie regni Sicilie³; pro anno vero sequenti, quantum nostra interest, fr. Nicholaum de sancto Saturnino⁴ de conventu Parisiensi provincie regni Francie.

Item. Assignamus lectorem in conventu Tholosano fr. Raymundum de Rupe de conventu Rivensi in eadem provincia. Ibidem ad sentencias fr. Guillelmum de Gannato⁵; magistrum studencium ibidem facimus fr. Bernardum Tholosanum; ad legendum ibidem bibliam fr. Raymundum de Pira. Item. Assignamus ad legendum in conventu Florentino fr. Nicholaum Muscini⁶ de conventu Neapolitano provincie Sicilie. Pro anno vero sequenti, quantum nostra interest, fr. Cornelium de Pistorio; ad legendum vero bibliam ibidem [fr.] Lucam de Arecio.

Conventui Coloniensi damus in lectorem Henricum de Cervo⁷; [ad] sentencias ibidem fr. Iohannem Snewelin; magistrum studencium fr. Nicholaum Snewelin.

Conventui Montis Pessulanus assignamus ad legendum sentencias fr. Hugonem Morerii de conventu Biterrensi; magistrum studencium [fr.] Bartholomeum de Multisdenariis; ad legendum ibidem bibliam [fr.] Dominicum de Florencia⁸.

Conventui Neapolitano damus in lectorem sentenciarum fr. Stephanum de Aversa; magistrum studencium ibidem fr. Nicholaum Ticii de Pennis.

Conventui Bononiensi damus in lectorem [fr.] Matheum de Beletasa; ad sentencias ibidem [fr.] Franciscum Marmandi⁹; biblicum ibidem fr. Beregarum Gileti.

¹ Cf. supra pag. 349 l. 13 sqq.

² Legendum esse arbitror pro “Viennensem” “Wincemensem” vel “Wismariensem”, cum hic agatur de conventibus provinciae Saxoniae. Cf. SSOP. I pag. XIV n. XVIII.

³ De fr. Simone de Puteo cf. DENIFLE l.c. III pag. 105; SSOP. I, 706.

⁴ De fr. Nicolao de s. Saturnino cf. DENIFLE l.c.

⁵ De Guilelmo de Gannato cf. SSOP. I, 694; DENIFLE. l.c. pag. 663.

⁶ De fr. Nicolao Caracciolo (Moschino) cf. SSOP. I, 696.

⁷ De fr. Henrico de Cervo ibid. pag. 640.

⁸ De fr. Dominico de Florentia ibid. pag. 772.

⁹ De fr. Francisco Marmandi cf. MOPH. VII, Chronicon Petri de Arenys pag. 53 sqq.

Conventui Magdeburgensi damus in lectorem fr. Iohannem Biscophesdorf; sentencias ibidem [fr.] Franciscum de Plavvisse.

Item. Committimus reverendo patri magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris, lectoribus et sublectoribus, magistris studencium, biblicis et studentibus ordinet et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Conventus et monasteria Pere, Caphe et Trebisundarum supponimus et adiungimus provincie Grecie, et mandamus provinciali Grecie, quatenus examinet, ordinet et disponat et curam habeat de conventibus illis, sicut de ceteris conventibus provincie.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus depositioñem, suspensionem et quamcumque aliam punicionem factam contra fratrem Nicholaum Eymerici¹⁰, sacre theologie professorem, pro tempore quo fuit vicarius in provincia Aragonie deputatus per generale capitulum [apud] Ferrariam celebratum, nullas esse nec fuisse tamquam latas a suis non iudicibus in hac parte et alias quovis modo.

Provincie Terre sancte damus in provincialem fr. Bartholomeum Rubei Pisanum de provincia Romana et eumdem provincialem damus in vicarium in Romana provincia, donec provincialis fuerit electus et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Provincie Tholosane damus in vicarium fr. Petrum de Maricalmo¹¹, magistrum in theologia.

Provincie regni Sicilie damus in vicarium fr. Philippum de Theate¹², lectorem Neapolitanum, donec provincialis ut supra.

Provincie Hungarie damus in vicarium fr. Henricum priorem Viennensem de provincia Theutonie, donec provincialis fuerit electus et confirmatus et presens exstiterit in eadem.

Provincie Lombardie superioris damus in vicarium fr. Thomam de Casasca¹³, inquisitorem, donec provincialis, ut supra.

Denunciamus fratribus universis, quod quicumque frater sine licencia magistri ordinis ad Romanam curiam accesserit aut cum intencione illuc eundi de suo conventu exierit, aut ibi ultra terminum sibi assignatum remanserit, incurrat transgressionem precepti et sentenciam excommunicationis ipso facto, quam reverendus pater magister ordinis tulit in diffinitorio in scriptis iuridice de diffinitorum consilio; cuius absolucionem retinuit sibi soli.

Concedit tamen magister ordinis prioribus provincialibus vel eorum vicariis generalibus, quod singuli eorum possint ad dictam curiam pro negotiis ordinis, quocienscumque necesse fuerit, mittere duos fratres. Provinciali autem provincie Provincie conceditur, quod fratres sue provincie possit ad dictam curiam licenciare, prout paci et honori ordinis viderit expedire.

Sequens autem capitulum generale ponimus in conventu Valentino [in provincia] Provincie, et volumus et ordinamus, quod nullus frater presumat ad capitulum generale accedere sine magistri ordinis licencia speciali; nec conventum suum exeat cum proposito accedendi ibi. Ommem autem fratrem oppositum facientem volumus ipso facto voce esse privatum, ad quam restitui non valeat infra annum. Fratres vero qui diffinent, locum intrent capituli dominica infra octavas ascensionis domini, nec habentes licenciam locum intrent capituli ante sextam feriam festum pentecostes precedentem.

Ex actis capitulo generalis Valentiae
celebrati anno Domini · M° · CCC° · LXIV°

·

Declaramus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: si autem in capitulo generali vel medio tempore usque ad capitulum provinciale vel ipso provinciali capitulo quocumque casu aliquam provinciam priore provinciali carere contigerit, ad provinciale capitulo eius electio pertinebit; quod sic intelligitur: non solum si ipso tempore carere incepit, sed etiam post mortem prioris provincialis vel alio quocumque casu incepit carere ante capitulo generale, et quia vel provincia non elegerit priorem provincialem ante vel quia electus non fuerint confirmatus, vel quocumque alio casu adhuc provincia non habet provincialem confirmatum vel electum et per consequens eo caret, quod ad provinciale capitulo et non ad electores eius electio pertinebit.

In capitulo generali Valencie de regno Francie sub magistro Simone anno domini · m° · ccc° · lxivii°

¹⁰ De fr. Nicolao Eymerici cf. SSOP. I, 709 et MOPH. VII l.c. pag. 52 sqq.

¹¹ De fr. Petro de Maricalmo cf. supra pag. 330 l. 8.

¹² De fr. Philippo de Theate cf. SSOP. I, 671

¹³ De fr. Thoma de Casasca vel Clarasco cf. l.c. pag. 702; EUBEL l.c.p. 26; MOPH. VII. l.c. pag. 56.